

1+2 / 81

KALENDIS FEBRVARIIS

MCMLXXXI

ARIUS
OR VARIUS I
MOR VARIUS I
RMOR VARIUS I

RMOR VARIUS

RMOR VARIUS
OR VARIUS
ARIUS

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE
LATINA TVRICENSI in ae-
dibus AKADis editur.

RVMOR VARIVS sexies in
singulos annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis :
(annuum)

In Helvetia	Fr. 12.--
In Germania	DM 16.--
In Austria	GS 120.--
In ceteris	
Europae terris	Fr. 18.--

Singula specimina, qui
rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum :

Dr. Emanuel Bernard
Dr. Jürg Bleiker
Ulricus Aeschlimann
Patricius Hardmeier
Martinus Meier

Impressum et dispositionem
rerum legentibus publican-
darum curat :

Patricius Hardmeier

Typographaeum :

Copy Quick, Turicum

Epistulae, mandata mittenda
sunt ad domum editoriam :

RVMOR VARIVS
Postfach 883
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium :

Schweizerischer Bankverein
Zürich Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-631'783.3

RVMOR VARIVS wird von der
SOCIETAS LATINA TVRICENSIS
unter dem Patronat der AKAD
herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal
jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis :
(jährlich)

Schweiz	Fr. 12.--
Deutschland	DM 16.--
Oesterreich	GS 120.--
übriges Europa	Fr. 18.--

Einzelne Probenummern können
gratis bezogen werden.

Redaktionsteam :

Dr. Emanuel Bernard
Dr. Jürg Bleiker
Ulrich Aeschlimann
Patrick Hardmeier
Martin Meier

Graphik und Layout :

Patrick Hardmeier

Druck :

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse :

RVMOR VARIVS
Postfach 883
CH-8050 Zürich

Bankverbindungen :

Schweizerischer Bankverein
Zürich Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-631'783.3

PRÆFATIO

Ulricus Aeschlimann omnibus amicis salutem dicit!

Spero annum MCMLXXXI bonum felicem faustumque vobis fu-
turum esse! Est iam quartus Rumoris Varii florentis.

Numerus libellum nostrum studiose legentium semper augeri
videtur; nuper enim eius mentionem factam invēni in com-
mentariis Latinā linguā scriptis, qui "Vox Latina" in-
scripti in Germania occidentali a professoribus studiosis-
que philologiae universitatis Saravipontis eduntur. Sub-
notantium quoque commentarios nostros numerus nimirum
auctus est, maxime vero post illud spectaculum televi-
sorium "Tell-Star" vocatum, quod, ut vobis praenuntiave-
ram, anni praeteriti a.d. VIII Idus Decembres emissum est.
Spectaculo illo, quod, ut scitis, certaminis ludique ritu
peragi solet, Martinus Meier, collega noster, cum viro
egregio Felice Zürcher certavit. Quibus armis? - Suis quis-
que nimirum, sed utriusque nec pila nec gladii erant, sed
doctrina acrisque memoria. Martinus Meier scientiā de vitā
Mani Matteri, poetae illius celebris Bernensis, Felix Zür-
cher scientiā certavit de vitā senatorum rei publicae Hel-
veticae, quos "Bundesräte" vocamus. Tum durante emissione
Martinus Meier, a Bernardo Thurnheer, certaminis moderatore,
rogatus, ut pauca de suis deliciis narraret, camisiam sig-
no Rumoris Varii ornatam indūtus, de nostro libello, quem
unā cum ceteris redactoribus se componere dixisset, alac-



riter narravit. E novissimo libello exempli gratiā narra-
tiunculam a Daniele Weissmann publicatam carpsit, recita-
vit transtulitque in sermonem nostrum vulgarem. Ubi fini-
vit, magnus ortus est plausus risusque omnium, qui audive-
rant. Ita Martinus, cum e certamine victor abire non
potuisset, tamen certando pro Rumore Vario fortissimum
se praestitit conquistorem. Paucis enim diebus post non-
nullae nobis allatae sunt epistulae a rogantibus, ut numero
Rumorem Varium subnotantium adscriberentur.

In consilio Turici a.d. III Kalendas Ianuarias in aedibus
AKADis habito nos redactores Martino Meier pro meritis eius
gratias egimus. Ibi Patricius Hardmeier nos omnes, qui gra-
tias agendi gratulandique causa adessemus, machinā photogra-
phicā depinxit. Demonstrat tabula photographica Martinum

Meier secundo loco a sinistra parte stantem et donum a col-
legis operis praebitum e manibus meis accipientem. Porro
facile in hac tabula cernetis redactorem Dr. E. Bernard lae-
va parte stantem, dextrā Dr. H. Hottenstein, gubernatorem
scholarum ad institutum AKAD pertinentium, utrumque magnos
plausūs dantem.

Consilio habito omnes ad epulas ab instituto AKAD nobis ob-
latas in deversorium scholae vicinum convēnimus Martino Meier
gratias agentes, quod tantum ad amicos Rumoris Varii augendos
attribuisset.

Valete!

Ulricus Aeschlimann redactor.

DE TEMPORIBVS LONGE REMOTIS

Hominem, vulgo quidem, quo plus provehatur aetate, eo
libentius reminisci annorum existimo pueritiae suae.
Nunc, ut exemplo utar, narrare cupio, quid illo tempore
senserim, plus sexaginta annis ante, cum Turicum vēni
primum. Tum cum oppidum Curia dimidiā parte erat minor
quam nunc, Turicum autem Helvetiorum iam urbs maxima,
ingens, ut ita dicam, metropolis, quam videre aliquando
erat in votis hominum Curiensium. Ut Corinthum Romani
antiqui, ita Curienses Turicum videre gestiebant.

Erat annus millesimus nongentesimus undevicesimus, egoque octo annos natus. Numquam antea nimirum quicquam mundi videram nisi Curiam, patrium oppidum, eiusque viculos angustos, prata vasta, ventosa, quae Rheno versus panduntur, altos montes obscuros, abietibus vestitos circum. Vix credebam alia loca, alium mundum ultra montes exstare posse, ubi montes non essent, sed colles modici, quamvis a parentibus saepenumero magnam urbem Turicum esse audissem procul a nobis magnumque lacum, ibique habitare avunculum et amitam nitidamque filiam eorum.

Aliquando autem matercula mea mihi dixit litteras se accepisse ab avunculo, quibus litteris me invitasset, ut ferias aestivas apud se, domi suae, degerem. Qui nuntius mihi laetissimus tantopere me excitavit, ut dies noctesque vix aliud quicquam somniaverim praeter ferias, quas Turici acturus essem.

Tandem aliquando dies appropinquavit ultimus anni schoластици primusque feriarum. Omnes viae ferratae stationes ab oppido Curiā usque ad urbem Turicum iam pridem memoriae mandaveram, numero quinque et viginti. Etenim sciebam non celeri tractu (=Schnellzug), sed lento me esse vecturum, quoniam tractu celeri sumptuosius erat uti. Itaque utile mihi erat stationes, ubi tractus consisteret, memoriter scire omnes.

Illis temporibus, cari legentes, scitote tractus viae ferratae nondum electricā, sed vi vaporis motos esse. Ingenti et torvo aspectu erat machina vectrix terrificae anhelans in fronte, quamquam vehendi vis eius minor erat quam machinarum vectricium, quibus hodie utimur. Summa celeritas vehendi erat in hora milium quinquaginta. Matercula mea me saepe atque iterum hortabatur ac docebat, quomodo me gerere iter faciens deberem, quid mihi agendum quidve vitandum esset, ne fenestram currus aperirem neve brachia foras porrigerem, Turici autem in statione nomine "Enge" amitam praesto fore, qui me domum suam abduceret, taliaque et similia verba identidem mihi faciebat plurima metu mater et amore permota. Praeterea sarcinas mihi paraverat omnibus rebus, quae ad vestitum cultumque corporis pertinent, diligentissime, ut matrum est.

Cum autem dies profectionis advenisset, mater me ad stationem comitata vehicularium (=Kondukteur, Schaffner) multis verbis oravit et obsecravit, ut toto itinere me custodiret curaretque, ut in statione "Enge" curru descenderem amitamque reperirem. Bonus ille et placidus vir se ita facturum confirmavit. Tum, basiis multis et datis et acceptis, in currum escendi et dextrā parte consedi, doctus a matre parte dextrā me multo meliorem prospectum in lacus habiturum. Paulo post vehicularium audivi sibilantem, quod signum erat avehendi. Tractus motus est. "Vale, vale, matercula mea dulcis!" mecum volvi signumque nutu dedi, iamque ex oculis elapsa est. A machina

síbilus acutissimus auditur, celeritas vehendi crescit, iamque video, per fenestram spectans, praetervolantes pérticas telegraphicas (=Telefonstangen), arbores, domos, agros, praetervolabant omnia mirum in modum, quae alias fixa stabant vel iacebant.

Iam plus decem minutas vecti sumus, sed idem adhuc est aspectus locorum, adhuc montes impendent altissimi et obscuri. Regionem illam somniam tandem videre gestio montibus vacuum caelumque patens. Tum subito tractus cónstitit in parvā quādam statione. Foras spectans lēgi insigne tabulae inscriptum "Zizers". Audivi strepitum mercium, cistarum, ahenorum (=Kessel), quae in currum imponebantur. Unus et alter viator escendit in currum. Aliquanto post, tractus auctus est. Stationes plus minus sex secutae erant, cum regionem animadverti mihi plane alienam esse meque procul a patria ablatum sensi, quamquam perstabant montes alti. Mox ad stationem "Walenstadt" advēnimus et paulo post de improviso aliquid conspexi visu mirabile, quod antea numquam videram, lacum ingentem, caeruleis undis micantem et fulgentem. Qui aspectus aciem oculorum ita mihi perstrinxit, ut quasi defixus miraculo, oculos a lacu avertere nequirem. Et tractus longum temporis secundum lacum vehebatur. Surrexi, fenestram aperui et leniter proclinatus impetum sensi venti a fronte tractūs caput mihi vehementer afflantis. Subito oculus mihi indoluit acriter. Quid fuit? Dolo- re acuto repulsus fenestram clausi, consēdi et palperam humidam diligenter fricans in partem nasi me brevi tempore ipsum curavi. Dolor cessit. Sed doloris quid fuit causae?

Divinatisne, amici? - Recte! Granum carbonis a machina vectrici advolans oculum mihi laeserat. Quae res viatoribus, cum fenestras aperuissent, saepe accidit.

Vehicularius praeteriens cum oculum mihi rubrum animadvertisset, comiter interrogavit: "Amabo, quid tibi est, mi puer? Lacrimasti? Cur ita?" - "Non lacrimavi", inquam, "sed granum carbonis". - "Quidnam? Quomodo factum est? Aperuistine fenestram?" - "Aperui". - "Doletne adhuc?" - "Non iam". - "Bene! Ne iterum aperias, mi puer!" dixit et abiit subridens.

Aliquanto post, alia res nova accidit et improvisa: nox subito atra facta est! Intravimus viscera montis, ut ita dicam, vel foramen per montem arte factum, quod nostro tempore vocamus "Tunnel". Paucis minutis post in lucem emersi, sed brevi post in aliud foramen immersi iterumque emersi vicissim aliquotiens, tandem ad stationem advēnimus nomine "Weesen". Quod nomen, altā voce a vehiculario, qui descenderat, pronuntiatum mihi mirum in modum in auribus resonuit! Longa vocalis, duplex scripta "ee" mihi sonus erat plane peregrinus, sicut tandem a patriā me procul esse sentirem. Sed ubi erat lacus? - Elapsus ex oculis!

Sequebantur stationes Ziegelbrücke, Bilten, Schübelbach, Siebnen-Wangen, Lachen, Pfäffikon, Bäch neque fugerat me montes altos transisse paulatim in colles lenes et amoenos caelumque patere multo longius. In statione "Bäch" matrona quaedam intravit et consēdit contra me. Salutavit comiter egoque item resalutavi. Tum rogatus, unde profec-

tus essem et quo iturus, respondi: "Curiā profectus Turicum peto, apud amitam ferias acturus". - Et illa: "Itane vero? Tam longum iter facis solus? Fortis es. Gaudesne itinere?" - "Gaudeo", inquam, at iam apparuit effulgens lacus Turicensis caeruleis undis motus neque iam animus erat aures praebendi dictis et quaestionibus matronae. Per fenestram spectavi animi pendens: Aves niveo colore splendentes super undas volabant, suspensae quasi in auris, aves, quarum genus antea videram numquam. Satiari spectando non poteram: undas caeruleas innumerabiles, caelum late patens nullis montibus coartatum! "O beatum mundum!" paene exclamavi.

Sequebantur stationes deinceps Richterswil, Wädenswil, ubi latitudo lacūs, ut postea cōperī, maxima est.

Wädenswil! Aliud nomen mirum! Quam nova et mirabilis mihi sonuit vocalis longa "ä" in isto nomine! Sonabat velut ac si undae lacūs in nomine resonarent.

Taliter omnia auribus et oculis laetus imbibens magis magisque excitabar appropinquante Turico. In statione "Wollishofen" vehicularius ad me veniens dixit: "Nunc, mi puer, in proxima statione metam itineris tui attigeris. Tum unā mecum descendes". Adnui et cor mihi palpitare sentiebam.

Vix avectos a "Wollishofen" denuo nox nos involvit. Sed brevi post in lucem reddidit tractusque constitit. "Enge" pronuntiavit adveniens vehicularius. Cistā itinerariā meā captā cum eo descendi animi pendens. Vix descenderam, cum amita mea me conspexit et agnovit. Laetissima advolavit meque amplexa est.

Tum nimirum multa me interrogabat de familia, accipere gestiens, num omnes bona valetudine essent. Eius loquelam animadverti aliquantum differre a nostra Curiensi, quamquam, ut pater meus, Curiae adoleverat. Attamen familiarem eam mihi statim sensi meque ut domi.

Eximus e statione in plateam magnam, ubi summo opere mirans tractum colore caeruleo conspexi, qui advenerat, paululum constiterat iamque avectus est. "Quid hoc est, amita?" - "Haecine? Numquam vidisti, mi puer. Haec est tramvia electrica. Escendemus in proxime advenientem". - "Quando adveniet?" - "Intra quinque minutas". Miratus interrogavi: "Tam brevi intervallo alius alium tractum sequitur?" - "Ita est. Specta illuc! Iam advenit". Et re vera conspexi sequentem.

Magna et miranda mihi res fuit primum vehi tramviā. Vehemur super pontem prope lacum, cum subito amita: "Specta foras! Celeriter! Videsne?" - "Video. Quid hoc est?", interrogavi. - "Est automobile". - Et ego: "Quonam modo vehitur sine equo trahente?" - "Habet vim magnam intus, equorum instar, qua trahitur. Explicabit tibi avunculus, cum domum advenerimus".

Proximo libello plura, si placebit, de feriis Turici actis.

Dr. Emanuel Bernard

S O L V T I O N E S

=====

De solutionibus nobis missis sortes coniecimus.
Ecce illi, qui primum, secundum, tertium praemium accipient:

primum praemium:

Marcel Probst
Haldenstrasse 14
2540 GRENCHEN

secundum praemium:

Werner Rufi
Rauracherstrasse 18
4106 THERWIL

tertium praemium:

Max Müller - De Vries
Zürcherstrasse 10
4143 DORNACH

1	K	2	A	3	R	4	I	5	N
2	A	M	O	R	E				
3	R	O	S	A	M				
4	I	R	A	T	E				
5	N	E	M	E	A				

Aenigma

QUO PRAEMIUM ACCIPI POTEST! QUODQUE AENIGMA
RECTE SOLUTUM ET RUMORI VARIO MISSUM AD SORT-
TEM REVOCABITUR! DIES ULTIMA KALENDIS MARTIIS
EST!

PRAEMIA SUNT : primum praemium : Liber
secundum praemium : Libellus
tertium praemium : Libellus

1	2	3	4	5
2				
3				
4				
5				

1. Varius
2. umor (Dat. Sg.)
3. movere, 2. (Part. perf. pass., Acc. pl. fem.)
4. orare, 1. (Supinum)
5. ridere, 2. (Part. perf. pass., Nom. Sg. masc.)

PROFESSOR ET LARVA

(Drama trium actuum)

Personae: Scaenarches
Poeta
Professor Conradus Falkenheim
Gertruda Falkenheim, uxor eius
Larva Iohannis a Falkenheim, proavi profes-
soris

Actus primus (Prologus)

Poeta: Scaenarcha!
Scaenarches: Quid est, mi poeta?
P: Tune, quid facere velim, scis?
S: Cur sciam?
P: Est ita. Dicenti "Scaenarcha!" respondes mihi "Quid est, mi poeta?" Interroganti "Tune, quid facere velim, scis?" respondes "Cur sciam?"
S: Quid aegre hoc fers? Sapienter mihi videor respondisse!
P: Est ita: S a p i e n t i u s respondisti! In scaena, quaecumque aguntur, sapientiora! Semp̄r interrogatur, respondetur, iterum interrogatur ac iterum respondetur. Sententiam sequitur sententia. Horribiliter sapientia haec omnia! Mihi odio sunt!
S: Suntne alia facilliora? Certo drama nescio quod potes componere, in quo alteri actori, num pulchrum sit tempus, quaerenti alter se iam invitatum esse respondet. Utrum lucrosus sit necne, maxime dubito.
P: Recte! Sed adhibendam esse auream iam docet Horatius mediocritatem. Cur non fingam personam partim sana, partim perturbata mente respondentem?
S: ...velut professorem dissolutum?
P: Non aliam!
S: Haud te impediam. Attentus sum.

Actus alter (Professor Falkenheim)

(Scaena sit camera arcis Falkenheim. Pocula vacua et alia ad celebrandum festum necessaria spectatoribus

festum actum esse demonstrant. Saltantes professor Conradus Falkenheim et Gertruda uxor in scaena appareant. At ne musica ulla audiatur)

Gertruda: Conrade!
Conradus: (saltare pergīt)
G: Conrade! Desiit cani musica!
C: Quid? Num male vales? Visne sedere?
G: Optime valeo! Sed musica cani desiit!
C: Desierit! (saltare pergīt; post spatium temporis:) Quid es de musica locuta?
G: Cani desiit!!!
C: Recte quidem! (saltare pergīt) Visne sedere?
G: Libenter sedeam!
C: Recte agis. Prudentius tibi non sedere. (tamen saltando abstinentes considunt.)
C: (sudorem removens) Molestissimum, necne?
G: (maritum molestissimum censens, quod factum autem ille non intellegit) Recte, molestissimum!
C: Visne potare quidpiam?
G: Nolo, gratias!
C: Eo igitur apportatum potabile nescio quid. (abit ac revertitur duo manibus ferens pocula, quo ex utroque. quae insunt, ipse bibit) Beneficio est faucibus aridis umoris paululum, nonne?
G: Est, ut loqueris.
C: Dare pocula mihine licet tibi? (dat ei pocula vacua. Quae ea mensae imponit. Is cigarulum inflamat) Nonne tu cum Georgo sermocinata es? Quid ille narravit?
G: Non erat Georgus, at eius frater, quem Eduardum nominant.
C: Recte! Iterum mihi incidit in mentem Eduardum non adfuisse. Cur aberat?
G: Narravit mihi Georgum in America esse.
C: Pro immortales! Eduardus in facultatum infinitarum terra est?
G: Non Eduardus ibi, sed Georgus est!

C: Certe hoc Georgus narravit. Cui quid illic negotii?
G: In America?
C: In America. Placetne ei haec?
G: Videtur bene esse.
C: Non miror: perpaucis tantum America placet.

(Interruptio brevis)

C: Pauxillatim fatigor. Putasne nos barbaros haberi, si nunc domum imus?
G: Conrade! Iam domi sumus nostrae! Memento hoc festum nullā aliā causā esse celebratum nisi maiorum arce tuorum renovatā ac, ut habitaremus eam, praeparatā!
C: Sapienter dixisti. Haud facile fieri potest, quin maneamus.
G: (spe privata fere) Convivae iam ante dimidiam horam abiere!
C: Abibuntne post dimidiam horam? Per quae tempora eos bene sustinebo.
G: Abeo cubitum, Conrade!
C: Te exspectabo, carissima.
G: C u b i t u m eo!!!
C: Certe exspectabo; ne timueris.
G: (caput quatiens ad portam it) Lumen exstinguam necne?
C: Fac exstinguas! (alterum cigarulum inflamat, dum illa lumen exstinguens abit. Nihil nisi cigarulus videtur).
C: Miror, quam sit tenebricosum. Placidus, qui fuit vesper. Operam dederunt plurimam. Sed quanti eos emisse haec omnia reris? - Gertruda! Gertruda! Eheu, abiit. Certo mox iterum aderit.
(Lux quaedam caerulea in scaena diffunditur. Larva equestri armatura induta apparet. Quae lente mota ac sollemniter funebriterque loquens similis est larvis, quae puerulos metu implent.)
C: Tandem lux rursus oritur! (Larvam conspiciens surgit et appropinquat) Iamne noti facti sumus? Equidem sum professor Falkenheim.
Larva: Sum larva Iohannis a Falkenheim.
C: Gaudeo valde! Mirabili et aliena veste indutus es*): Semper mutato vestitu delectat apparere. Quod tibi

domicilium est?

L: In arce Falkenheim natus et defunctus sum.
C: Tu igitur dominus es? Suave quod parasti festum!
L: Inquietus sum.
C: Conside, quaeso. Equidem quiete delector.
L: (immota) Cruor infixus est huius domus parietibus!
C: Cruorne? Vulneratus sim in radenda barba.
L: Conrade!
C: Et praenomen tu scis meum? Ignoscito mihi oblito tui praenomnis.
L: (maiore voce) Conrade!
C: Quid? Et te Conradum vocant? Quam fortem!
L: Conrade, cruor infixus est his parietibus!
C: Quod iam dixisti. In radendo sectum esse me constat.
L: Catharina, uxor quae fuit mea, puerum nostrum interfecit!
C: Quam horribile! Periculosum est nostra aetate vivere liberis. Automobilia ac quaecumque inventa sunt magis obsunt quam prosunt! Uxorem tuam valde doluisse puto.
L: Conrade, ulciscendum est facinus!
C: Arbitrarisne hoc in foro tractatum iri? Quam molestum!
L: Inquietus sum, dum inultum est facinus.
C: Suadeo tibi, ut iuris peritum adhibeas quendam. Novi optimum.
L: Conrade, honoris memento familiaris!
C: Certe meminero; uxor quoque mea infantem nobis parientem censet. Quem mox habebimus.
L: Conrade, fido tibi.
C: Faciam, quod potero, Conrade.
(dissolvitur larva)
C: Iterum lumen exstinguitur; intellegat, qui potest! - Conrade, Conrade, ubi es? Da manum mihi! Illic sellae sunt, ut sedeamus. Praepositus domui me peritior es. Conrade, Conrade!
(Gertruda nocturno vestitu induta apparet et lumen accendit)
G: Conrade, qua de causa, mehercle, perpetuo nomen tuum clamas? Nonne vini plenus es? Nulla est temeti copia minor, quam ut te vincat! Veni cubitum!
C: Tandem ades. Vir, quem nuper...

- G: Qui vir?
 C: Nominis eius gentilis oblitus sum, sed pariter ac ego Conradus vocatur. Qui erat homo sollemnis valde, mira quadam veste indutus. - Uxorem in vehendo automobili puerum obtrivisse narravit. Horribile, an non?
 G: Eheu, perturbator es quam soles. Iam diutissime neminem nisi nos in hac domo esse apparet! Somnus tibi medebitur.
 C: Ut vis. Vir mirus, ut iam dixi....

(Abit uterque. Velum cadit)

Actus tertius (Epilogus)

Poeta: (ante velum apparet) Scaenarcha! (Ille adit) Quid nunc dicis?

Scaenarches: Aliquid dicere vis? Fac!

P: Non faciam; e t e quaero, quid dicas.

S: Recte quidem: haud oportet quicquam dici.

P: Quae tua sit sententia, scire cupio!

S: Semper tua mea sententia est.

P: Desine, stulte!

S: Recte, desinamus.

P: Nihilne tecum sapienter dici potest?

S: Ecce, poeta, nunc desideras, ut sapienter loquamur!

-
- *) "indutus": forma participii masculina usurpanda est, quia professor non larvam, sed virum quendam ante se stare putat.

Martinus Meier

COMMENTARII PERIODICI LATINI



VOX LATINA

*Textus antiqui et mediaevales
 et humanistici et recentissimi*

VOX LATINA inscribuntur Latini commentarii periodici, quibus edendis Dr. P. Caelestis Eichenseer, qui est in Saraviensi studiorum Universitate, luculenter moderatur, in quod opus convenienter efficiendum ab anno 1976 ° complures professores academici magistrique linguae Latinae praeclari inque Europa insignes scientissime cooperantur. Quibus chartarum fasciculis ea regulariter referri solent, quae spectant ad quaestiones promovendae vivae linguae Latinae continenter expediendas. Ibidem auxilia didactica praebentur, quae prosint institutioni scholari, atque consilia communicantur, quibus consuetudo sermonis Latini inter populos confoveatur.

Eduntur autem quotannis quaterni fasciculi, qui constant viginti marcis (Germanicis), ad quod pretium solvendum accedunt expensae cursuales.

Neo-Latinus sermo vere Latinus est, ubi stricte vigent regulae praeceptaque grammatica antiquitus observata, sed tractantur, idque Latine, res recentiores recentissimaque, ut necesse sit inventionibus novis secundum Ciceronis ipsius monitum (fin. 3,3. 3,10) nomina imponere nova, eaque vere Latina, secundum exemplarem usum consuetudinemque antiquam et mediaevalem et humanisticam quam convenientissime conficta et conformata. Talia igitur exempla in paginis commentariorum VOCIS LATINAE proponuntur et praebentur. Qualibus supplementis legitimis, iisque non arbitrariis, sed omnino necessariis et consideratissimis, congruenter aucta et locupletata lingua Latina non differt a scriptis antiquis nisi copia verborum competenter suppleta.

Hac scientia sermonis Latini commodius instructi tam vetera quam nova facile voluptuoseque legere possumus atque ea quoque perstudiose persuaviterque percipere, quae scribunt tradunt referunt coaequales item Latine docti. Hunc in modum et Latinitatem colamus et humanitatem et communitatem certe singularem et incomparabilem.

Denique Tibi Tuisque expetas specimen exemplarve fasciculorum VOCIS LATINAE, quod desiderium cures ad instituti sedem perferendum, quae est haec:

VOX LATINA

Universität - Fachbereich 6,2

D - 6600 Saarbrücken 15

DE LEGIBVS XII TABVLARVM

TABULA V

(PARS I)

1. Veteres ... voluerunt feminas, etiamsi perfectae aetatis sint, ... in tutela esse ... exceptis virginibus Vestalibus, quas ... liberas esse voluerunt: itaque etiam lege XII tabularum cautum est.

(Gaius 1,144/145)

2. Mulieris, quae in agnatorum tutela erat, res mancipii usucapi non poterat, praeterquam si ab ipsa tutore [auctore] traditae essent: id [que] ita lege XII tabularum [cautum erat].

(Gaius 2,47)

3. UTI LEGASSIT SUPER PECUNIA TUTELAE SUAE REI, ITA IUS ESTO.

4. SI INTESTATO MORITUR, CUI SUUS HERES NEC ESCIT, ADGNATUS PROXIMUS FAMILIAM HABETO.

5. SI ADGNATUS NEC ESCIT, GENTILES FAMILIAM HABENTO.

Leges tabulae V ad hereditatem, tutelam et curam pertinent. Quia multa explicanda sunt, divisae sunt interpretationes meae in partes duas, quarum primam vobis hoc, secundam proximo RVMORE VARIO proponam.

► L e x 1 =====

Neque de mulieribus, quae in potestate patris familias, neque de iis, quae in manu mariti sunt, agit haec lex. Agit autem de iis:

- (1) quae virgines Vestales sunt
- (2) quae patre mortuo innuptae sunt
- (3) quae patre mortuo in nuptis, sed non in manu mariti sunt.

Virgines Vestales (1) liberae sunt. Ceterarum tutor est proximus agnatus. Agnati vocantur viri, qui in eadem patria potestate essent, si proavus eorum adhuc viveret. Agnati ergo sunt: fratres, fratres patris, fratres avi, etc... Agnati autem non sunt: pater fratresque matris, mariti sororum, etc...

Agnatus proximus plerumque non solum tutor, sed etiam heres mulieris est. Qua de causa tutor saepe plus pecuniam eius quam eam ipsam curat.

► L e x 2 =====

usucapere = ersitzen (durch den Ablauf einer bestimmten Frist Eigentum an einer Sache erwerben)
res mancipii = fundi, servi, equi, asini, vaccae, boves

Tutore invito mulier ergo res magni pretii suas transferre non potest. Si tamen fecit, iuris vigore carent acta.

► Lex 3

=====

LEGASSIT = legaverit

PECUNIA = unfreie Hausgenossen u. Vieh

Heredes legitimi patris familias sunt: uxor in manu et omnes, qui in potestate eius sunt, velut filii, filiae innuptae, filii filiaeque filiorum iam defunctorum, etc...

Non talis autem est ratio huius legis, ut patri familias liceret heredes suos legitimos exheredare et hereditatem extraneo cui-libet dedere. Potest quidem extraneo legare singulam rem mancipii.

Si heredibus suis caret pater familias, facultas data est virum adultum filio loco arrogandi vel extraneum heredem instituendi. Etiam de tutela mulierum impuberumque secundum voluntatem suam decernere potest.

► Leges 4 et 5

=====

escit = erit

famila = pecunia et tutela

Hereditas patris familias, qui nullo testamento facto sine heredibus suis mortuus est, agnatus proximus vel agnati proximi accipiunt.

Si nullus agnatus decuncti fuit, gentiles hereditatem accipiunt. Gentiles enim dicuntur ab eodem auctore gentis (Stammesvater) originem deducere.

PATRICIVS HARDMEIER

SVBNOTO RVMOREM VARIVM
(ich bestelle RVMOR VARIVS)

SVBNOTO RVMOREM VARIVM
DONO DATVM ALICVI
Factura subnotationis mit-
tenda est ad adressam infra
stantem.

(ich bestelle RVMOR VARIVS für
mit Rechnung an:)



RVMOR VARIVS
Postfach 883

CH-8050 Zürich

HIC SOLVTIONEM INSCRIBE
ET CHARTAM MITTE !

DOMICILIVM MEVM :



RVMOR VARIVS
Postfach 883

CH-8050 Zürich


AZ

8050 Zürich

1+2 / 81

KALENDIS FEBRVARIIS

MCMLXXXI



RVMOR VARIVS

